



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

rant, conspecta quidem earum solida altitudine, itemq, magnitudine, subtiliq, lapidum compagine singulorū, quantumq, patenter, quantumq, erigerentur. Deo, inquit, plane adiuvante pugnavimus. Et Deus erat, qui detraxit ab istis munitionibus Iudeos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machina ad istas valeret? Quin Titus se Dei instrumentum fuisse, ad gentis impiæ excidium professus est. Forte inter obfidendum veteres historias Bibliorum, & prophetias legit, & in illis: *Assur virga furoris mei*. Ita quæ oblatas à vicinis provinciis coronas recusavit, ut Philostratus habet lib. 6. *Se enim eo honore indignum testatus, non esse sua illa opera, se Deo iracundiam suam demonstranti commodasse manus*. Hæc Titus modeste vsus V. & oriā, nec sua sponte in Iudeos secessus. Interim tamen etiam respiciendum, ut dixi, ad extremum verum. Chrysostomus de Antichristo proxime sequentia interpretatur: *ἔσται παρθένος τὸν ἀντίχριστον φησὶ, καὶ δεικνύσιν τοὺς, καὶ ἀποκρίσεις αὐτῷ, καὶ ἡ παρθένος φησὶν [ἡ ἑκκλησία] καὶ λέγει ὅτι ἀντίχριστος ἀποκρίσεις [ἡ] δὲ ἀποκρίσεις ἐπιγαστρὸς. ἔστιν ἡ παρθένος καὶ ἐνέργεια ὁ σατανᾶ, ἐν πύκι διώκει μὲν ὁ σατανᾶς, καὶ πέσει ψεύδης, ἐν πύκι ἀποκρίσεις αὐτῷ, ἐν τοῖς δόγμασι τοῖς. Id est, Antichristus autem significatur, cui nonnullos etiam ministraturos ostendit: quem Paulus hominem peccati, filium perditionis appellavit. Deinde adiecit, cuius adventus est secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & prodigiis mendacii, in omni deceptione iniquitatis, in his qui perducuntur.*

VERSVS 24.

Surgent enim pseudochristi & pseudopropheta: & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

QVÆSTIO I.

Quæ signa Pseudoprophetarum?

Signa falsa. §. 1. **A**m ostendi signa obfidionis tempore non esse: edita: quæ magnitudine sua possent quemquam à fide abducere. Ioseph. l. b. 7. cap. 12. oraculo excitatos ait ad rebellionem, & cap. 11. sex millia à propheta deceptos confugisse ad porticum in qua cremati sunt. Miracula tamen illis tribuit omnino, nulla in obfidione.

§. 2. Signa & prodigia magna vocat, non vera, non quod reuera magna essent, sed quod ita Satanæ alia facta sint, ut magna viderentur, aut si, ut dixi, facta non sint, futura sint: nam ad Antichristum Chrysostom. Theophil. alique referant. Magnitudinem eorum Christus ex hypothese demonstrat, ita ut in errorem inducerentur, (si fieri posset) etiam electi. Possunt induci in errorem electi, si eorum spectes naturam & infirmitatem; sæpe etiam in graves errores, & peccata reipsum inducuntur, resurgunt tamen, & salus eorum ex electione vocantis restituitur. Hic Christus loquitur de illo errore, qui perpetuus est, & ad mortem perseuerat. Tam igitur magna illa signa sunt, tam verisimilia, ut electi illis credere, à Christo recedere, atque in apostasia mori possint, si prodigiorum efficacia, cum eorum viribus conferatur, quia tamen electi sunt, stante hypothese divini decreti quod immutabile est, & certissime saluat, quos elegit, non possunt seduci. Possunt eorum corda concitari, ut Gregor. l. b. 33. moral. fatetur, non concidunt tamen. Non

est exaggeratio, ut putat Origenes. Nam tempore Antichristi multi magni & fortes cadent: ut est apud Daniel. 11. 10. atque hoc est, quod Rabanus mor. et. Electos secundum Dei iudicium non cadere, electos secundum hominum iudicium cadere. Talia sunt signa, quæ faciunt bestia, & pseudopropheta in Apoc. c. 13. 14. *Et seduxerunt homines habitantes in terra, propter signa, quæ datur sunt illi facere in conspectu bestiarum*. Hæc signa ut plurius exponit Tostatus sunt talia, quæ non sperent naturalem agendi potentiam, quæ est in spiritibus immundis. Talia sunt talia videntur. Miraculum autem verum est, quod est supra rerum naturas, ut mortui suscitatio, cæcitate illuminatio. Quæque nulla creatura potest efficere. Hinc omnia miracula pseudopropheta: sunt mendacia: non quod non veros effectus aliquando edant, sed quod effectus reuera naturales, causarum sola ignorantia hominibus admirandos.

QVÆSTIO II.

An sanctorum miracula respicienda sint, quia miracula etiam videntur facere pseudopropheta?

§. 1. **M**agno furore orthodoxorum miracula erigunt hoc loco Calvinus. Bullingerus, & maioræ stultitia, si enim vera quæ sunt à Dei ferendis miracula repudianda sunt, quia illa imitantur & magi, demonum pedissequi, in eundem censum rependa sunt etiam Christi & Apostolorum miracula. Imo omnis pietas abneganda est, quia pietatis speciem induit, & videntibus imponit hypocritas; denique omnibus sua velleria ponenda, quia illis aliquando teguntur & lupi. Statuendum vero est illam veram Ecclesiam non esse, in qua nulla eduntur miracula. Videmus enim ab Exod. 4. à missione Moysis miracula per desertum, & consequentia Iudeorum tempora vsque ad Christum continuata, atque adeo nostro tempore plurima. Adeo vero illa est nota necessitas ut Christus dicat: *Si operam non fecissem, peccatum non haberent*. Et Paulus 2. Corinth. 12. & 1. Thessal. 2. & H. br. 2. miraculis se doctrinam firmasse pronunciat. Quin Deus sub finem sæculi mendacibus Antichristi signis vera suorum prophetarum miracula opponet, ut docet Apocalypsis. Quin etiam Lutherus fatetur de seruo arbitrio; nullum sine miraculis novum dogma admittendum. At nulla hæcenus in sæculo in Ecclesia miracula visa sunt: & tamen si facere viderentur, tanquam mendacia nobis vitanda esse, ex Christi verbis didicimus. Quare Deus magna miracula nostri sæculi hæresibus miracula negavit, etiam falsa. Quid enim non perficerent, si fraudibus consuetis etiam præstigiis addere possent? Ligatus est Satanæ, non potest, quod operatur. Quod igitur Nero contigit, ut ait Plin. lib. 30. cap. 2. ut Magum ad discere non posset, etiam nec ingenium, nec opes, nec voluntas, nec studium, nec præceptores decedent: ne summa potentia venefici artibus armaretur; hoc etiam divina providentia decrevit, ne nostri hæretici, cum inter eos magi non desint, vlla possent, vel falsa miracula confirmandæ perfidie producere, cum tamen veteres Valentiniani, Marcionitæ, Gnostici, Montanistæ, Donatistæ, alique omnibus modis in hoc incumberent, & fidem miraculis sibi conciliarent. Vide Iren. l. 1. c. 8. Epiph. hæres. 48. Euseb. l. 6. c. 1. Augustin. tract. 6. in Ioan. Greg. Tur. l. 2. c. 3. hist. Franc. Quæ etiam circa finem mundi, cum solutor erit Sa-

hanc, pseudopropheta præstigiis illudent incredulis. Semper enim ab orthodoxis obiectum est: si noui Apostoli sunt, noua signa edant, si traditam fidem veterem inficiantur, tot miraculis comprobantur, nouitatis suæ fidem suscitandis mortuis astruant. Hinc olim conabantur, etiam Lutherus, teste Staphylo p. 1. absolutæ respons. & Calvinus recensente Bolleco c. 13. in vita Caluini. Verum nullo successu, adeo ut posteris omnem spem præciderint. Hinc vertitur in accusationem miraculorum Caluinus. [Porto cum antichristos & mendaces prophetas miraculis fore pronunciet, non est quod tantopere superbiant Patres hoc obtentu, vel ipsorum iactantia terrentur; sed. Si exipiant, hoc modo eueri miracula, quibus tam legis, quam Euangelii sancta sunt auctoritas: Respondeo certam spiritus notam illis insculptam fuisse; quæ dubitationem, & etiam mendacium fidelibus extimerent. Doctrinam obfignati miraculis ut illa quoque visum reluceat. Et concludit. Denique si ab impostoris cauere placet, sit apud nos inuidia signorum & doctrinæ coniunctio.]

Respondeo mendaces prophetas non præiudicare veris, nec præstigiis miraculis. Nec Catholici miraculis superbunt, sed diuinam cum bonitate potentiam, & cum seueritate iustitiæ coniunctam laudant, quod Ecclesiæ Catholica ministris dederit potestatem miraculis doctrinam consignandi, hæreticis negant. Apud Catholicos est indiuidua signorum & doctrinæ coniunctio; apud eos falsa doctrina, nulla signa. Ideo nulla auctoritas doctrinæ, nulla reuerentia ministris, quia nullum est veritatis sigillum. Nec obstant nobis præstigiæ magorum: quia nec Christo, nec Apostolis. Falsi doctores cauendi sunt, non ideo omnes doctores. Certam spiritus notam esse in veris, quæ merum errandi auferat, inquit Calvinus. Recte sane, notam illam nemo Caluinianorum exhibuit; nemo enim miracula fecit. Quæ vero illa nota? Non indicauit eam Calvinus, ne deprehendi posset. Nota est, si illa faciant fideles, quæ si Deus promissit, si demones eliciant, cæcos illuminent, mortuos suscitant, et quæ factis sermonem prædicationis a Deo firmatum auditoribus tradant, atqui hæc adeo a multis sanctorum millibus præstita sunt; ut aut omni penitus infirmitas detrahenda sit, aut hæc credenda. Habent testes omni exceptione maiores Cyprianum, Hieronymum, Eusebium, Ambrosium, Augustinum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum, Chrysostomum, omnes Ecclesiæ scriptores: hodie etiam adeo multa confugerunt, ut nec hæretici negare audeant. At impostores esse aiunt. Ita Bullingerus hoc loco. Melancthon in c. 14. Rom. Brentius in prologomenis. Centuriat. cent. 5. cap. 10. & toto examine horum posterius. Habent illi quos imitentur Porphyrium, Eunomium, martyrum veteres tortores, qui miracula quæ inter ipsa supplicia videbant, magis tribuebant. Hæc eadem Ariani, hæc Iconoclastæ, hæc Vigilantius obiebat. Imo a Phariseis & scribis hæc didicerunt, qui dominum in Beelzebub eicere demonia calumniabantur, audiant D. Hieronymum lib. 4. cap. 4. aduersus Vigilantium. Argumentatur contra signa atque virtutes, quæ in basilicis martyrum sunt; & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus: quasi nunc hoc queratur quibus fiant & non quæ virtute fiant. Eslo signa sint infidelium: qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem & Dominus incredulis signa faciebat: & tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant, sed maiori admirationi erunt; quæ tantæ fuerint, ut etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem egerent. Itaque nolo mihi dicas signa infidelium sunt: sed responde quomodo in vulgum pulchre & facillime scio quæ, tantum signorum virtutumque præsentia. Sentio, semio infide-

Adami Conzen in Evang. Tom. I.

lissime mortalium quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hac te cogit scribere, sepe hoc vilissimo tortus est pulchre, immo hodie, torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in ceteris consuetur. Nisi forte in morem gentium impiorumque Porphyrii & Eunomii has præstigiis demonum esse confingas, & non vere clamare demones, sed sua simulare tormentâ. Do consilium: ingrediere basilicas martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos socios tuos; & nequam ceterum Martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus comburentur: & tunc facies, quod nunc negas; & tuum nomen qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis, te esse aut Mercurium propter humorum cupiditatem, aut Nocturnum, iuxta Plauti Amphitryonem.

Nos eadem eisdem hæreticorum erroribus opponimus. N. in martyrum Basilicis eadem, imo & plura fiant miracula, idque etiam propter hæreticos infideles.

Atque hoc sane scire velim, an post Apostolorum tempora, quæ in historiis Ecclesiæ, patrum monumentis sunt scripta miracula, omnia falsa arbitrentur? an vero donum miraculorum etiam viris Apostolicis concessum esse, hæc Ecclesiæ auxilio opportuno ad gentium conuersionem destitutam? si aliqua concedant, cum omnia illa sint Catholicorum, nulla vero Caluinianorum, consequitur fidem nostram miraculis firmatam.

§. 2. Præcipue in miracula illa inuehuntur, quæ miracula per imagines fieri consueverunt, vel ad memorias sanctorum. Bullingerus hoc loco. [Et quoniam nullis nec ferre hō scripturis approbare possunt suos errores, quod deest possunt. argumentis, pensant miraculis, & prodigiis, & iis minime vulgatis. Notissima est Maria, speciosa cognominata, apud Reginpurgeneses, non sine prodigiis & miraculis visitata, addit Lauretanam; Aquensem, Eremitanam; tanta istorum virtute signa dabantur patrata, ut nihil mirum fuisset, si vel piissimi ad veritatem ad mendacium defecissent.] Sed cur deficerent, si Deus ad suæ matris memoriam miracula facit? An quia suos honorat Deus ideo piissimi ad mendacium deficiunt? Multo pluribus locis verissima miracula conspiciuntur, ut in æde Dittelbacensi, ut est apud Trithemium: ut in Vriceto apud Helprunam vide Bredenbach, Lindanum, Canisium lib. 5. Marial. cap. 25. Lipsius scripsit historiam Sichimensis; Hallensium, Eisingreinius Oeringanam, alii alias, nec ficta sunt, sed vera miracula tot probata testimoniis atque etiam oculis principum, & magnatum, adeoque hæreticorum, ut negari non possint. Cui vero imaginum, vel reliquiarum sint falsa miracula, cum vmbra Petri liberaret ab infirmitatibus? Actor. 5. sudariis & semicinctis Pauli demones & morbi fugarentur? Actor. 19. Eiusdem generis illa nostra sunt, eadem Christi virtute peracta. In translatione corporum Protasii, & Gervasii cæcum esse sanatum; teste ciuitate grandi, & imperatore, lib. 22. cap. 8. de ciuitate docet Augustinus. Integri libri ex Augustino aliisque colligi de miraculis illis possunt. Cur igitur illa creduntur, hæc nostra non creduntur? aut cur ideo nostra negantur, ut & illa negentur, & hoc gradu veniat ad neganda etiam Domini & Apostolorum miracula, quibus sublati de fide dubitentur? ut autem credatur vnum, maximumque miraculum, ascensus Christi in cælum facta sunt multa miracula, quæ partim factis literis, partim aliis gestis Ecclesiasticis continentur. Nam facta, inquit Augustin. lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. esse multa miracula quæ attestarentur illi vni grandi salubrig, miraculo quo Christus in cælum cum carne in qua resurrexit ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc ut fidem facerent, inuenerunt, hæc per fidem quam fecerunt multo cla-

rius innotescunt. Leguntur quippe in populis ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Nam etiam nunc sunt miracula, in eius nomine siue per sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta quanta illa gloria diffamatur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique recitari, & memoria cunctorum inherere populo: hac autem ubique sunt, ibi sciuntur, vix a tota ipsa ciuitate, vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus ceteris, maxime si magna sit ciuitas, & quando alibi, alijque narrantur, non ea tanta commendat autoritas ut sine difficultate vel dubitatione credantur quamuis Christianis fidelibus, à fidelibus indicentur. A paucioribus ergo sciuntur, sed tamen certo. Reliqua capitis lector persequatur, omnia miracula nostratibus similia intelliget esse.

Hac autem ad fidei confirmationem facta docet, cap. 9. Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua predicatur Christus resurrexisset in carne, & in eorum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres, huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando sed moriendo vicerunt, pro ista fide mortui sunt, qui hac à Domino imperare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide precessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.

Hac martyres impetrasse, pro his miraculis antecessisse miram patientiam demonstrat. Et argumentum inuidum, omnibus irrisoribus opponendum conficit. Nam si carnis in aeternum resurrectio vel non praeuenit in Christo, vel non ventura est, sicut praeuincitur à Christo, vel sicut praeuincitur est à prophetis, à quibus praeuincitur est Christus: quare Martyres tantum possunt, qui pro ea fide, qua haec resurrectio predicatur occisi sunt? Siue enim Deus ipse, per seipsum miro modo, quo res temporales operatur aeternus, siue per suos ministros ista faciat: & eadem ipsa, qua per ministros facit, siue quaedam sciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos: siue omnia ista per angelos: quibus inuisibiliter, immutabiliter & incorporaliter imperat, operetur: Ut qua per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendere à mortalibus possunt: ei tamen attestantur hac fidei, in qua carnis in aeternum resurrectio predicatur. Non ideo quia carnis illa cauillabantur, Augustinus haec arma ponit, sed eorum conscientia illa contra verborum praetextus opponit.

Gentium
miracula.

§. 3. Nondum tamen calumniandi finis. Diu gentium, Magi Pharaonis, Simon Magus, Apollonius Tyanaeus, imo ipse, quem Messiam multi crediderunt Vespasianus, miracula fecerunt. Ita Exod. 5. 6. 7. Act. 8. 9. Philostr. lib. 5. Tacit. lib. 4. Sueton. in Vespas. cap. 7. Fecerunt, & fidei confirmandae fecerunt.

Respondeo. Hoc ipsum recte eos facere, quod tantam sui cognoscendi nobis adferant facultatem. In castris enim gentium contra Christi, & martyrum miracula militant. Id igitur illis respondendum est, quod ethnicis responderet Augustinus lib. 22. cap. 10. de ciuitat. Dei. Hic forte dicturi sunt, etiam Deos suos aliqua mira fecisse. Bene si iam incipiunt Deos suos nostris mortuis hominibus comparare. An dicent etiam se habere Deos ex hominibus mortuis, sicut Herculem, sicut Romulum, sicut alios multos, quos in Deorum numerum receptos opinantur. Sed nobis Martyres non sunt Di: quia vnum eundemque Deum & nostrum scimus & Martyrum: nec tamen miracula qua per memorias nostrorum martyrum fiunt, vilo modo comparanda sunt miracula, qua facta per templa perhibentur illorum. Verum si qua similia videntur, sicut à Moyse Magi Pha-

raonis, sic eorum Diu victi sunt à martyribus nostris. Fecerunt autem illa Damones eo fastu impura superbia, quo eorum Diu esse voluerunt. Faciunt autem ista martyres vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat qua eos, non Deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credimus. Denique illi talibus Diu fuis, & templa adificauerunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa sicut Diu, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione viuunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoria sacrificent eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum.

Nos igitur haereticis noua docentibus, noua scilicet gentibus ligillo veritatis nihil confirmantibus ne credamus. Credamus autem eis, (martyribus) & vera dicentibus, & mira facientibus. Dicendo enim vera passi sunt, ut possent facere mira. Haeretici nec vera dicunt, nec patiuntur, sed inferunt persecutionem, nec faciunt mira; sed sanctorum opera, ne homines mirentur, calumniari pergunt. Ficta autem gentium miracula, & impoturas fuisse, exitus docuit, atque adeo ipsorum docent historici, ut Tacitus de Vespasiano, morbos illos à medicis iudicatos esse curabiles. Addam quae lib. 10. de ciuitat. Dei cap. 16. idem habet Augustinus. Cum Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis suae, ut per istos immortales nuncios, non sui fastum sed maiestatem illius predicantes faceret maiora, certiora, clariora miracula, ne infirmis pijs illi, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quadam stupenda monstrarent, quae tandem ita desperelibat ut non vera eligeret, quae sciretur, ubi & ampliora inuenire mireretur: Illa quippe miracula Deorum gentium, quae commendat historia, non ea dico, quae interualis temporum occultis ipsius causis mundi, veruntamen sub diuina providentia constitutis & ordinatis, monstris contingunt: quales sunt inuisitati partium animalium & caelo, terrae, rerum insolentiae: siue tantum terrens, siue etiam nocens, quae procurari magis mitigari demoniacis ritibus fallacissima eorum albus perhibentur. Sed ea dico, quae vi ac potestate eorum fieri sciamus videntur apparere. Ut est quod effigies Deorum penitum, quae de Troia Aeneas fugiens aduexit, de loco in locum migrasse feruntur: quod eodem Tarquinio notacula fecit quod Epidaurius Serpens Esculapio nauiganti Romam comes adhaesi: quod natum qua simulacrum matris Phrygiae videbatur, sacris hominum bonis, conatibus immobilem redditam vna muliercula aena alligata ad suae pudicitiae testimonium moueri traxit: quod virgo vestalis de cuius corruptione questio reuocabatur aqua impleto cribro de Tiberi neque persulente, absque controuersia. Hac ergo atque alia huiusmodi, nequaquam illis quae in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt: quanto minus ea, quae illorum quoque populo, qui tales Deos coluerunt legibus iudicata sunt perhibenda atque plectenda, magica scilicet ac theurgica: quorum plerumque speciemus mortalium sensus imaginaria iudificatione decipiunt, quale est lunam deponere, donec suppositas ut ait Latinius propior despuet in herbas. Quadam vero est nonnulla priorum factis videantur opere coequari, finis ipse quo disputantur incomparabiliter hac nostra ostendit excellere. Illi enim multi tanto minus sacrificijs colendi sunt, quanto magis hac expectant: Hu vero vnum commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere & scripturarum suarum testificatione, & eundem postea sacrificiorum remotione demonstrat.

Atque ista in praesens sufficiant. Interim videri potest Damascen. de fide l. 4. c. Niceph. l. 2. c. 7. Eua. l. 4. c. 7. Ruffin. l. 1. cap. 7. Theod. l. 1. c. 18. Socr. l. 1. c. 13. Sozom. l. 1. c. 1. Euseb. l. 7. c. 14. & l. 1. c. 27. de vita Constanti.

Nazianz. orat. i. in Julian. Epiph. hares. 30. Athanasius in vita S. Antonii, Hieron. de Hilarione. Nyssenus de Gregor. Thaumaturgo. Paulinus lib. 3. de Martino, & in eiusdem vita Sulpitius. Ignatius ad Philipp. Ambrosius lib. 10. Epist. 85. Chrysostomus de Caten. Petri &c. Basilii de mamante; & 40. Martyribus, Prudentius de Laurentio, Agnete, Hippolyto. Nilus ad Heliodorum. Hæc qui calumniantur aut negant, iam dudum etiam Christum negauerunt, cāq; solum causa in seruos Christi tam sunt insolentes. Quod si doctissimum, simul & lectissimum vultuissimumque de minimis Ecclesiæ tractatum videre libeat Christiano lectori, Friderici Forneri Palmam triumphalem legat, in qua præstitum inueniet, quicquid hætenus in ea materia desiderari potuit.

VERSUS 23. 25. 26.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deserto est nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere.

QVÆSTIO I.

Quomodo dicent hic, aut ibi est Christus?

§. 1. Quia magna necessitate premitur, quod libet auxilium arripit: Misericordia enim hominem faciunt credulum ut secunda facile somnient, & meliora promittentes diligant. Itaque tempore obsidionis & antecedente, cum bellum iam gereretur, quidam impostores salutem promittentes trepidis, & expectatione suspensis, dicebant: hic, vel illic est Christus &c. vel &c. Hoc vel hoc loco. Duo vero loca præcipue nominant. Desertum, & penetralia, *remota*, loca conclusa, munita. Eo enim auocabant impostores credulum populum. Hoc etiam futurum est in illa magna tribulatione, quæ superuentura est vniuerso orbi. Iam etiam fieri per Antichristi præcursores, & metatores videmus. De excidio Ioseph. l. 2. c. 12. *Seductores namque hominum, & impostores sub religionis speciem nouis rebus studentibus insinuant fecerunt. Nam insolitudines aggrediebantur promittentes Deum signa illi libertatis ostensuri. Contra quos Felix, (videbantur enim semina desolationis esse) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Narrat deinde de Aegypto, qui 30000. è solitudine in montem oliuarum eduxit. Simon etiam in deserto 40000. latronum collegit, quibus Ierosolymam instructus venit. Zelotæ in penetralibus, & templi adytis hærebant.*

§. 2. Ridiculum planè est, quod Calviniani ex hoc loco sacramentum Eucharistiæ impugnant. Quasi illi, qui verbis Christi credunt, Hoc esse corpus eius, sint ex his prophetis, qui dicunt, hic, aut illic esse. Hic enim cauere monentur eos impostores, qui alios Christos prædicant, aut Christi aduentum annunciant specie aspectabili: non illos, qui veritatem sacramenti asserunt. Vide Bellar. l. 1. de Euch. c. 14. Non separamus Christum vnum hic, & alibi, & in cælo agnoscimus. olim ita vltus habuit, vide Ambr. de excessu fratris Satyr. c. 7. Optatum l. 2. contra Parmenianum: secum in itinere habuerunt, in templis reposuerunt domi asserunt, & verum Christi corpus credebant.

§. 3. Non minus ridiculus est Bullingerus. Constituit primo hæc ad extrema tempora pertinere. Deinde de emeris ait, [qui salutem illis in rebus consti-

tuent, in quibus non est. nempe hic, aut illic, in locis, personis, intercessionibus diuorum. Romæ, Ierosolymis, Compollæ. Iuxta Matie Eremiticæ, Phano A- quanti, missis, confessione, indulgentiis, carimoniis. His veram liberationem impetrari, cum non sit salus nisi in vno filio Dei, Domino nostro, nec nisi per fidem.]

Respondeo. Nondum comperisse me, qui in his remissionem, & salutem constitueret, quæ in solo est Christo, per fidem & caritatem. Grauius sane peccatur, si aliunde petitur salus. Loca ad salutem non faciunt. Inter sanctos veritari potest impius, ut inter Sodomitas innocentia tutus sua Lethus. Indulgentiis peccatum non remittitur, nec legi, qui hoc sentiat, aut si quispiam id scripsit, hæreticus est. Poena temporaria, quæ culpæ remissa superesse solet, tantummodo condonatur. Sanctorum intercessionibus eo modo, quo victuorum, profunt. Sunt tamen quædam loca, quæ sanctè visitari solent, vel quia in illis sunt plura ad pietatem incitamenta, vel quia in illis Deus operatur, quæ alibi nusquam facere dignatur. Elegit montem Oreb in quo legem daret, Verem Silo in qua tabernaculum, Ierusalem in qua templum haberet. Elegit varias memorias martyrum, de quibus Augustinus loco, iam ante citato. Quod si ea loca in quibus fragum, aut vini alteriusue rei copia à Deo præstatur, commodorum caula adeunt profani homines. *Hic segetes illuc veniunt felicitus vna;* cur tandem aut Deo non liceat, quo visum fuerit loco diuitias suæ bonitatis expendere? aut quæ inuidia est, si eo, ubi est vberior beneficentia sese conferunt, qui suæ sibi indigentia sunt conscii?

VERSUS 27.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente & paret usque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.

QVÆSTIO I.

Cur Christi aduentus fulguri comparatur?

§. 1. Sine vlla controuersia, aut vilius interpretis disensione, aduentus Christi, qui hic describitur, ad finem mundi pertinet; nullus enim alius futurus, quam ille similis fulguri, omnia complexus, omnia collustrans. Ex quo clara ratione deduco; proximis versibus qui antecedunt eodem referendos. Consequentiam clarā facit particula causalis, *Sicut enim.* Syllogismus enim ille est. Cuius aduentus est, sicut fulgur, quod exit ab Oriente & paret usque in Occidentem, de eo dicendum non est, ecce hic est, aut illic, in deserto, aut in penetralibus, nec credendum prophetis ista dicentibus. Sed talis erit aduentus filij hominis sicut fulgur: non ergo dicendum est, hic aut illic est. Maior manifesta est: fulguris enim lux ingens, omnibus est conspicua, & celerissima. Hæc ex argumentatione concluditur, Christum præparare discipulos suos ad eum aduentum, qui extremus est, & contra eos pseudo-prophetas, qui eum antecedunt. Si versus 23. 24. 25. & 26. ad hoc tempus pertinent, idem etiam dicendum, de versu 22. quia vers. 23. ita habet: Tunc si quis dixerit, &c. Tunc, hoc est tempore dierum breuiatorum. Hoc si conceditur, etiam vers. 21. ad finem mundi referri debet. Nam dies breuiati sunt tempore tribulationis magnæ. Aduentus igitur Christi plenus erit luce, & maiestate, non ibitur eius causa ad desertum, non quaeretur in conclauibus.

Beza fulguri Euangelium comparat, quod verum est, non tamen Calviniano conuenit, quod isti